

Petrus de Vinea

*Ep. II 57 (Cum ad expurgandum
de sincero corde...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 57 (Cum ad expurgandum
de sincero corde...)*

1247 (?)

Capitaneus mandat exercitum congregari iuxta
mandatum imperatoris sibi factum.

1. Cum ad expurgandum de sincero corde Imperii
rebellionis inueteratae fermentum et infidelium reliquias
conterendas nos bellum indicere et exercitum congregare
de iurisdictione nostra iusserit imperatoria celsitudo, ut
ad secundum eius mandatum nobis in breui non prefinito
tempore faciendum, contra rebelles suos cum uictorioso
exercitu nostro ad adiutorium imperialibus uiribus
exeamus uiriliter et potenter, oportet nos diem mandati
subiti preuenire, ut nos et uos paratos hora inueniat
iussionis. 2. Et quamquam ad tam opus laudabile,
fidelium solacium et quietem nos sine mandato uestra
deuotio animet et incitet uestra fides, nos autem circa ea,
quae commissum nobis exposcit officium et imperialis
programmatis mandat auctoritas, inueniri nolentes in
aliquo desides uel remissi, uniuersitatem uestram
affectuose requirimus imperiali, qua fungimur in hac
parte uobis auctoritate, firmiter et districte precipiendo,
mandantes, quatenus in equis, armis, tentoriis, trabachiis
et aliis necessariis, sic uos paretis celeriter et
decenter, ut, quandocumque litteris seu nuntio fueritis
requisiti, ad nos pro imperialibus seruitiis accedatis,
ad depopulationem infidelium animati, quorum terras
secundum imperiale mandatum disponimus usque ad
exterminium impugnare.